253

Petrus Tomicius archidiaconus Cracovienzsis, Sigismundo primo regi Poloniæ.

Serenissime princeps et domine, domine clementissime. Hodie misit nuntium suum Voiewoda Moldaviensis ad hanc sacram maiestatem cum literis, quibus conqueritur de multis iniuriis, quas asseverat sibi à subditis vestræ maiestatis inferri. Queritur enim abduci sibi colonos, pecora, iumenta, populari villas, prædas et furta passim exerceri in terra sua, de dominiis vestræ maiestatis, nominatque villas depopulatas, numerumque hominum ac iumentorum abductorum, tum malefactores ipsos perscribit, quæ omnia plene describit vestræ maiestati in suis literis hæc sacra maiestas, literasque Voiewodæ mittit, quod tametsi ita fiat; ego tamen etiam volui hæc præsentibus significare vestræ maiestati pro debito officii mei. 1510.